

DE IMPEDIMENTO SPIRITUALIS COGNATIONIS.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-SECUNDÆ SYNOPSIS.

*Non tam sæpè vetat nubentem agnatio carnis,*

*Mystica quin multò sapiùs illud agat.*

Sic incipit: De parentalium graduum.

Sic terminat: In presenti carent glorià.

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de impedimento affinitatis, sive de gradibus affinitatis carnalis; sed in presenti determinat de impedimento spiritualis cognationis, sive gradibus affinitatis spiritualis: ergo rectum, & congruum inter se ordinem servant.

2. Consequentia probatur. Gradus affinitatis cognationis carnalis sunt apta mensura graduum affinitatis cognationis spiritualis, eò quòd ad instar impedimenti affinitatis carnalis perficiatur impedimentum cognationis spiritualis; sed in toto recto disputandi ordine priùs de mensurâ, quàm de mensurato per eam agendum est: ergo cum gradus affinitatis cognationis carnalis sint apta graduum affinitatis cognationis spiritualis mensura, priùs de impedimento affinitatis carnalis, & postea immediatè de affinitatis cognationis spiritualis impedimento differere, reverà est rectam, ac congruam servare methodum.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ ostendit Magister, quomodò consanguinitas, affinitas, etiamque spiritualis cognatio, quæ Matrimonium impediunt, inter se differant. In secundâ verò declarat, quare ex baptismo, & confirmatione tantùm, quædam spiritualis contrahatur cognatio, per quam Matrimonium dissolvatur. In tertiâ autem, & ultimâ statuit, qualiter tertiæ, vel quartæ nuptiæ nec prohibita, nec damnabiles existant.

4. PRO PRIMÆ igitur partis pleno captu, hæc prima adducitur

the-

thesis: *Consanguinitas, affinitas, etiamque spiritualis cognatio Matrimonium impediunt, inter se maxime dissident.* Ante cujus probationem præmittimus ex Magistro quandam consanguinitatis, affinitatis, etiamque cognationis spiritualis aptam explanationem, quâ omnibus intelcat, quomodò per hæc tria impedimenta reddantur personæ illegitimæ ad contrahendum.

5. Consanguinitas enim inter eos viget, qui secundum generis lineam junguntur: Affinitas verò elucet inter eos, qui generatione, & genere quidem non sunt conjuncti, sed medio genere, & carnali conjunctione sunt sociati: Spiritualis tandem cognatio versatur inter compatrem, & commatrem, aliosque plures infra recensendos; sed hæc omnia maxime inter se dissident: igitur consanguinitas, affinitas, & etiam spiritualis germanitas, quæ Matrimonium retardant, inter se differunt.

6. Minor sic primò probatur de consanguinitate, & affinitate: Consanguinei inter se copulantur secundum generis lineam; sed affines secundum generis lineam non copulantur: igitur consanguinitas ab affinitate valdè dissidet. Minor probatur: Affines solùm mediante genere, & carnali copulâ sunt sociati: ergo secundum generis lineam affines non copulantur; sed sic consanguinei associantur: ergo consanguinitas, & affinitas inter se maxime discriminantur.

7. Confirmatur ex Magistro in litterâ: Uxor filii fratris mei, quæ non est de genere meo, per ipsum qui est de genere meo mihi affinis facta est, & ego illi: ergo affines solùm mediante genere, & carnali copulâ sunt associati; sed consanguinei secundum generis lineam inter se copulantur: igitur consanguinei, & affines plurimùm inter se dissident; ac proinde consanguinitas, & affinitas, à quibus tanquam à formâ tales denominantur cognati.

8. Secundò, eadem Minor respectu cognationis spiritualis etiam probatur: Spiritualis cognatio contrahitur inter compatrem, & commatrem, & inter eos, quorum unus de sacro lustrali fonte alterum levavit, aut in catechizatione, & confirmatione tenuit, etiamque inter filios ejusdem hominis carnales, & spirituales; sed consanguinitas, & affinitas inter ipsos non contrahitur, ut jam expendimus: igitur spiritualis cognatio notabiliter differt à consanguinitate, & affinitate.

9. Quòd autem consanguinitas, & affinitas impediunt Matrimonium, & ad quem gradum, & quomodò ejus protrahatur prohibitio, jam satis diximus in superioribus distinctionibus. Modò superest super cognationis spiritualis impedimento aliquantulum discursare, postquam distinctionem illius à consanguinitate, & affinitate juxta Mag-

frum assignavimus. Verum, cum spiritualis cognationis impedimentum inter varias, diversasque contrahatur personas, ideo de omnibus sigillatim hic differere operæpretium duximus.

10. Primò probat Magister, cognationem spiritualementem ex Sacramento baptismi, & confirmationis proventientem impedire Matrimonium contrahendum inter baptizantem, & confirmantem, & paternos suscipientes ex unâ parte, & baptizatum, confirmatum, & ejusque parentes naturales ex aliâ. Nam sic statuit expressè Moguntinum Concilium cap. 10. & habetur dist. 30. q. 1. cap. de eo, his verbis: *De eo quod interrogasti, si aliquis filiolum suam duxerit in uxorem; & de eo, qui concubuit cum matre spirituali; & de eo, qui filium suum baptizavit, & uxor ejus eum de fonte suscepit, si post in tali copula possunt permanere? Respondendum, separandos esse judicamus, & gravi pœnitentiâ plectendos.* Ergo spiritualis cognatio Matrimonium contrahendum impedit.

11. Secundò probat, eandem cognationem spiritualementem etiam Matrimonium jure antiquo impedire inter filios naturales, & spirituales filios, necnon adoptivos compatrum, & commatrum, ex Nicolao Papâ dist. 30. q. 3. cap. *Ita diligere*, dicente: *Ita diligere debet homo eum, qui se suscepit de sacro fonte, sicut patrem. Inter fratres, & filios spirituales gratuita, & sancta communio est, qua dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos arbitror non posse fieri legale conjugium; sed dum legale conjugium inter eos fieri non valet, cognatio spiritualis impedit Matrimonium: ergo jure antiquo impediēbat Matrimonium spiritualis cognatio inter filios naturales, & spirituales, necnon compatrum, & commatrum adoptivos filios.*

12. Quomodò ergò præfata spiritualis cognatio comprehendat filios, & quinam eorum sub hac prohibitione deprehensi intelligantur, magnum in litterâ apparet jurgium. Alii enim de illis tantum filiis textus exponunt, per quos compaternitas contracta est. Quibus adhærere videtur Urbanus cap. *Super quibus*. Alii verò, etiam id expendunt de filiis, qui ante, vel post compaternitatem, vel commaternitatem geniti sunt, ut sentire videntur Paschalis Secundus ibidem, cap. *Post susceptum*. Et Tiburicense Concilium, cap. *Illud etiam*.

13. Tertio etiam probat Magister, spiritualementem cognationem retardare Matrimonium jure Ecclesiæ antiquo inter virum, & commatrem uxoris post ipsius uxoris obitum, ex Nicolao Papâ dist. 30. q. 4. cap. *Sci scitur à nobis*, his id attestante verbis: *Cum ergò constet, quod vir & mulier una caro efficiuntur, restat, virum compatrem constitui mulieris, cujus assumpta uxor commater erat; & ideo virum illi femina non posse*

conjugi, qua commater ejus erat, cum qua idem fuerat una caro effectus. Ergo cum vir non possit ducere commatrem sui uxoris post istius obitum, non incongrue deducitur, cognationem spiritualementem impedire Matrimonium inter virum, & commatrem suæ uxoris post istius obitum.

14. Sed oppones Tiburicense Concilium, & Paschalem Papam, cap. *Qui spiritualementem*, & cap. *Post uxoris*: dicentem: *Post uxoris obitum, cum commatre uxoris conjugio copulari, nulla ratio, vel authoritas videtur prohibere.* Sed dum nulla ratio, vel authoritas prohibet, posse virum post uxoris obitum, cum commatre uxoris conjugio copulari, spiritualis cognatio non impedit Matrimonium adhuc jure antiquo, inter virum, & commatrem uxoris post istius obitum: ergo.

15. Respondet instantiæ Magister, textuum oppositionem luculenter conciliando, ipsorumque perfectum sic referendo sensum. Quod Nicolaus de illo agit, qui uxori suæ debitum reddidit, postquam commater illius extitit. Aliæ verò authoritates de illo exponuntur, cujus uxor, postquam à viro suo derelinquitur, illius commater efficitur, nec post compaternitatem à viro suo cognoscitur; vel potius de illo intelliguntur, cujus uxor ante defungitur, quam ab eo cognoscatur.

16. Quarto probat Magister, spiritualementem cognationem ex pœnitentiæ Sacramento resultantem inter confessarium, & filiam pœnitentem, speciali malitiâ afficere copulam inter eos habitam. Nam Silvester Papa dist. 30. q. 1. cap. *Omnes quos*, his rem totam exambit verbis: *Ad suam filiam pœnitentialem nullus Sacerdos accedat, quia scriptum est: Omnes quos in pœnitentiâ accipimus, ita nostri filii sunt, ut in baptismo suscepti.* Sed filia, quas baptizamus, ita nostra sunt, ut copula cum eis habita specialem sortiatur malitiam: ergo & habita cum filiabus confessionis specialem debet præcontinere malitiam.

17. Quinto probat Magister, quod nulla contrahitur spiritualis cognatio dirimens Matrimonium inter virum & feminam, dum ambo simul eandem sobolem tenent, ex Urbano Papâ dist. 30. q. 4. cap. *Quod autem*, sic alloquente; *Quod uxor cum marito in baptismo simul non debeat suscipere puerum, nulla authoritate, videtur vel reperitur prohibitum.* Sed dum nullâ authoritate videtur, vel reperitur prohibitum, quod vir & uxor possint simul tenere puerum; etiam hic nulla resultat spiritualis cognatio Matrimonium impediens: ergo. Caterum, Urbanus ipse accurate admonet, quod ut puritas ipsa spiritualis paternitatis ab omni labe, & infamiâ conservetur immunis, utrique simul ad hoc aspirare non præsumant.

18. Tandem, quod spiritualis cognatio Matrimonio superveniens non

non dirimat Matrimonium contractum, pluribus testimoniis probat Magister in ipsâ textûs litterâ adductis. Sufficiat pro omnibus Nicolai Papæ aut horitas ibidem, cap. *Nosse, dicentis: Nosse desideras, virum mulier, quæ viri filium ex alia fœmina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari: Quos ideo conjungi posse decrevimus.* Ergo licet alter conjugum baptizet alterius, vel utriusque filium, aut patrini munus in baptismo, aut confirmatione sibi arroget, nihilominus hæc spiritualis cognatio Matrimonio superveniens illud non dirimit.

19. Sed oppones primò quamplures alios ex jure antiquo in litterâ productos elegantes textus, suadere tentantes, conjuges separandos fore, quorum alter alterius filium in baptismo, aut confirmatione susceperit. En unum pro omnibus à Magistro textum adductum ex dist. 30. q. 1. cap. *Si quis filiastrum*, dicentem: *Si quis filiastrum, vel filiastram suam ante Episcopum tenuerit ad confirmationem, separetur ab uxore sua, & aliam nunquam accipiat.* Ergo quia spiritualis cognatio Matrimonio superveniens dirimit Matrimonium contractum.

20. Respondet Magister, hoc, aliaque Canonica jura solùm ad terrorem fuisse prolata; vel de illis exponenda fore, qui prius filios suos vicissim de fonte susceperunt, quàm fierent conjuges. Unde aliis auctoritatibus in litterâ appositis omninò obsequendum est; ita, ut sive proprium, sive tantùm viri filium mulier de fonte susceperit, non ideo à viro separetur; quod similitet de viro oportet intelligi.

21. Instabis: Ergo spiritualis cognatio simul cum Matrimonio cohæret; sed ex eò quòd unà cum Matrimonio cohæreat, jam spiritualis cognatio Matrimonium non impedit: igitur nullo valido fundamento proferimus, spirituales cognationem dirimere Matrimonium.

22. Respondet ex dictis Magister ipse negando Minorem, & Consequentiam. Nam dùm dicimus, spirituales cognationem cum Matrimonio cohærere, illudque non dirimere, intelligitur de cognatione spiritali Matrimonio superveniente, quæ vinculum matrimoniale inter legitimas personas jam contractum solvere non valet: At spiritualis cognatio Matrimonium antevertens impedit contrahendum, & dirimit contractum, si ex baptisimi, & confirmationis Sacramento resultat; sicque firmo innitimur fundamento, dùm tuemur, spirituales cognationem prorsus diruere Matrimonium.

23. Oppones secundò: Plus efficit in fidei obsequium, qui aliquem de pestilenti errore ad fidei lumen trahit, quàm qui baptizatum levat de regenerativo fonte, sive confirmatum tenet; sed si quis fœminam aliquam ad fidem converteret, posset cum eâ licitè & valide Matrimonium con-

trahere: ergo etsi baptizatum quis levet de fonte, aut confirmatum teneat, poterit licitè cum ipsis contrahere; atque adeò spiritualis cognatio nec impedit Matrimonium contrahendum, nec contractum jureipso dirimit.

24. Respondetur concessâ Majori & Minori, negando Consequentiam, & simile. Quia, dùm quis de suo errore aliquem ad fidem revocat, duntaxat illum instruit, & disponit ad generationem spirituales; non autem in ipsâ instructione, sive documento ad fidem aliqua invenitur formalis generatio: At in baptismo vera adest regeneratio, veraque spiritualis cognatio; & idcirco nullum ex instructione ad fidem oritur cognationis vinculum; benè verò ex regeneratione, & confirmatione in fidem resultat impedimentum cognationis spiritualis. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

25. PRO SECUNDÆ verò partis perspicuâ indagine, hæc alia præfigitur thesis: *Ex duobus Sacramentis, quippe baptismo, & confirmatione, quæ duntaxat spiritualis cognatio oritur, quæ Matrimonium retardat.* Hanc etenim ex Magistro conclusionem deducimus, dùm hic spirituales filios vocat, quos de sacro baptismali fonte levamus, vel quos in confirmatione tenemus.

26. Probatur primò ex spiritualis cognationis definitione: Cognatio spiritualis est propinquitas, aut proximitas proveniens ex Sacramento donatione, vel ad illud tentione: ergo tam ille, qui baptizat, quàm qui tenet, proximus, & cognatus censetur: ergo quia hæc spiritualis cognatio solitariè oritur, Matrimoniumque retardat virtute baptismi, & confirmationis Sacramenti.

27. Secundò probatur: Spiritualis cognatio verè spirituales filios constituit; sed baptismi, & confirmationis Sacramentum verè filios spirituales constituit: igitur ex baptismi, & confirmationis Sacramento solùm cognatio spiritualis resultat. Minor probatur: Hi propriè spirituales filii vocantur, quos de sacra levamus undâ, vel quos in confirmatione tenemus; sed per baptismum, confirmationemque ex sacra pueros levamus undâ, ipsosque in confirmatione tenemus: ergo baptismus, & confirmatio solùm filios verè spirituales constituunt; atque adeò ex ipsis spiritualis cognatio solitariè resultat.

28. Sed dices: Etiam ex pœnitentiæ Sacramento oritur spiritualis cognatio: ergo perperam baptismi, & confirmationi solitariè aptatur. Antecedens probatur ex Magistro in textûs litterâ asserente: *Dicitur etiam spiritualis filia Sacerdotis, quæ ei peccata sua confitetur:* ergo ex pœnitentiæ Sacramento etiam spiritualis cognatio resultat; sed dùm

ex poenitentiae Sacramento spiritualis cognatio oritur, jam baptismo, & confirmationi munia hæc solitariè non congruunt: igitur spiritualis cognatio, ultra baptismum, & confirmationem, ex aliis Sacramentis liquidò resultat.

29. Respondetur, quòd licèt ex poenitentiae Sacramento aliqua spiritualis cognatio oriatur, ut non obscurè innuit Magister in litterâ, & nos supra expendimus; tamen baptismo, & confirmationi præsertim confertur, eò quòd hîc duntaxat loquatur de eâ spirituali cognatione, quæ Matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit. Cùm ergò sola illa, quæ à baptismo, & confirmatione venit, hunc præstet effectum; ideò his Sacramentis præ aliis hæc specialis prærogativa jure optimò adscribitur.

30. Tertio probatur assumptum: Cognatio solùm penes generationem attenditur; nam quemadmodum est carnalis generatio in filiis, ita & spiritualis in Sacramentis: ergo solùm Sacramenta illa poterunt veram cognationem causare, in quibus vera elucet regeneratio; sed in baptismo, & confirmationis Sacramento solùm vera elucet regeneratio spiritualis: ergo solùm ex his, & non aliis oriri poterit spiritualis cognatio Matrimonium impediens.

31. Minor probatur: Baptismus ex sui propriâ institutione est Sacramentum regenerativum, ut liquet ex illo Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit denuò, &c.* Similiter confirmatio est regenerationis confirmatio, ut etiam ex illius institutione claret: ergo solùm in baptismo, & confirmatione vera elucet spiritualis regeneratio; sed solùm Sacramenta illa possunt veram cognationem causare, quæ data sunt in spiritualem regenerationem hominum: ergo cum his tantum hoc munus speciale congruat, solùm ab ipsis poterit cognatio spiritualis progigni.

32. Sed oppones primò: Sacramentum Eucharistiæ cuncta alia in munere uniendi spiritualiter supereminet Sacramenta, eò quòd fideles omnes in uno corpore arctet, & ambiat; sed per Sacramenti Eucharistiæ sumptionem nulla efficitur spiritualis cognatio: ergo multò minùs per baptismum, & confirmationem fieri poterit.

33. Respondetur negando Consequentiam. Quia in Eucharistiæ Sacramento nulla deprehenditur regeneratio, sed solùm in aquâ, & Spiritu Sancto, quorum unum est in Sacramento baptismi, reliquum verò in Sacramento confirmationis. Quòd ergò in munere uniendi spiritualiter Eucharistiæ Sacramentum cuncta alia superet Sacramenta, nihil efficit ad regenerationis rationem, ex quâ oritur spiritualis cognatio.

Oppo-

34. Oppones secundò: Eò quòd pater, & filius sint propinqui, sive cognati in cognatione carnali, necessariò omnes ab eodem patre procedentes, sunt propinqui, & cognati in eadem cognatione carnali: ergo si aliqua inter patrem, & filium spiritualem intercedit cognatio, necessariò inter filios spirituales ejusdem patris erit spiritualis cognatio: ergo omnes, qui ab uno baptizantur Ministro, haud dubiè erunt cognati spiritualiter; sed hoc est procul à veritate: ergo & quòd spiritualis cognatio contrahatur inter baptizantem, & baptizatum.

35. Respondetur negando primam Consequentiam, & omnes alias exinde deductas. Nam, qui ab eodem baptizantur Ministro, non plùs conveniunt, quàm qui baptizantur à diversis. Undè, licèt in utràque lineâ carnali, & spirituali sit vinculum; tamen magis conveniunt, qui ab eodem generantur carnaliter, quàm qui spiritualiter ab eodem regenerantur Ministro.

36. Et ratio est; quia sicut ex affinitate, & affinitate tertia non confurgit affinitas, nisi interveniat consanguinitas, quæ est vinculum per se; sic ex cognatione spirituali, utràque ex parte, non oritur spiritualis cognatio, nisi ex parte alterâ sit consanguinitas. Quamobrèm cognatio ponitur inter filium spiritualem, & filium carnalem, non verò inter spiritualem, & spiritualem filium, ut decernit Tridentinum Sessio- ne 24. cap. 2. infra fusè allegandum.

37. Verùm, cùm omnia ex Magistro hætenùs per totam Distinctionis seriem tradita, sint omninò juri Pontificio antiquo consona, operapretium duximus, ex novo, etfi extra litteram, nonnulla suprad- dere, & præsertim ex Tridentino Concilio, ut ipsius decisionibus Magistri littera undique vallata ac elucidata existat.

38. Primò dicimus, quòd spiritualis cognationis triplicem construimus lineam. Prima appellatur *paternitas*, quæ contrahitur inter baptizantem, & confirmantem, & baptizatum, & confirmatum. Et propriè dicitur cognatio paternitatis; quia, sicut qui in carne generat, dicitur pater carnalis, sic qui in spiritu regenerat, appellatur pater spiritualis; ideòque baptizans, & confirmans dicitur pater baptizati, & confirmati. Similiter contrahitur spiritualis cognatio inter patrum baptizati, & confirmati, & ipsum baptizatum, & confirmatum, eò quòd etiam propriè spirituales appellentur patres.

39. Secunda linea dicitur *compaternitas*, quam contrahit baptizans, aut confirmans, aut patrinus cum patribus naturalibus confirmati, aut baptizati. Tertia tandem linea nuncupatur *fraternitas*, quæ inter baptizatum, vel confirmatum, filiosque naturales baptizantis, confir- mantis, & patrinorum versatur.

T

Se-